



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. CLI. De Interdicto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

præstitam satisfactionem? *Resp.* Esse hinc inde opiniones; & communior est, quod non egeat alia absolutione. *Mastrius ubi supra num. 103. & num. 104. in fine.*

21. *Quar.* An sit servanda aliqua solemnitas, vel formula in absolvendo Clerico à suspensione. *Resp.* Negativè; sed sufficere quæcunque verba importantia ipsam absolutionem; qualia sunt *Ego absolvo te à vinculo suspensionis, quam incurristi.* Ut doctè scribit idem *Mastrius d. 13. num. 104. & Summa Diana V. Suspendio cum duob. Verb. seqq.*

CAPUT CLI.

De Interdicto.

1. *Quar.* Quid sit Interdictum. *Resp.* Est Ecclesiastica Censura, per quam fidelibus prohibetur participatio Sacramentorum, divinorum officiorum, & Ecclesiastica sepultura. Ut colligitur ex cap. Non est nobis, de Sponsalib. & cap. Quod in te, de Penitent. & Remiss. Vel ut illud definitur à Scoto in 4. dist. 25. q. 1. & Interdictum est prohibitio, vel archatio à quibusdam actibus Ecclesiasticis exercendis, vel ab assistendo quibusdam talibus. *Mastrius* qui alias definitiones refert, & explicat d. disp. 13. in Theol. Mor. num. 106.

2. *Quar.* Quotuplex sit Interdictum? *Resp.* Quod est triplex, Locale, Personale, & Mixtum. Interdictum locale est, quando prohibetur, ne in tali loco celebrentur divina officia. Personale, quando prohibetur aliquibus personis assistere activè, vel passivè divinis officiis in quocunque loco. Mixtum Interdictum est; quando locus simul, & personæ interdicuntur. cap. Prasenti, de Sent. Excom. in 6. cap. Sententia, eodem tit. *Mastrius ubi supra num. 107. & 108.* subdens, quod etiam interdictum dividitur in Generale, quando totum Regnum, vel Provincia subicitur interdicto; & in Particulare, quando aliquod Templum tantum, vel Ecclesia interdicitur. Item quod aliud Interdictum est à jure, & aliud ab homine.

3. *Quar.* An ex interdicto generali locali resultet etiam interdictum generale personale, & è contra ex generali personali resultet interdictum locale? *Resp.* Negativè, idè interdictis omnibus Ecclesiis unius Regni, poterit populus illarum Ecclesiarum audire Divina in Ecclesiis extra illud Regnum. Et interdictis personis unius civitatis, poterunt personæ alterius urbis audire divina in illa civitate. cap. si Sententia, de Sent. Excom. *Mastrius d. disp. 13. num. 109.*

4. *Quar.* An interdicto toto populo unius civitatis intelligantur Interdicti tam nocentes, quam innocentes? nec non tam præsentés, quam absentes? *Resp.* Affirmativè ex cap. si Sententia. Et ibi Glossa, de Sentent. Excom. in 6. sed cum hac distinctione, quod nocentes, & culpabiles, quamvis discedant ab ea civitate remanent interdicti: at innocentes, & inculpabiles, si alibi suum domicilium deferant, sunt statim liberi ab interdicto. *Mastrius d. 13. num. 110.*

disp. 13. num. 110. ubi advertit, quod hospites, & scholares reperti in civitate, quando in ea infligitur interdictum, non ligantur ab eo; & quod illi, qui habent diversa domicilia tam in loco interdicto, quam in aliis locis non interdictis, non sunt ligati prædicta censura; si soliti sint habitare per æqualem partem anni in locis non interdictis.

5. *Quar.* An interdicto populo intelligatur interdictus etiam Clerus? & è contra, interdicto Clero sit populus interdictus? *Resp.* Negativè in utroque casu; quia unus est distinctus ab altero. cap. Quia periculosum, de Sentent. Excom. in 6. *Mastrius ibidem num. 111.*

6. *Quar.* An interdicto Clero censeantur interdicti etiam Regulares? *Resp.* Negativè, etsi aliqui DD. contrarium sentiant, ea ratione, quia appellatione Cleri veniunt etiam Religiosi, & Moniales; sed hoc procedit in favorabilibus, non in odiosis. *Mastr.* alios DD. allegans d. disp. 13. num. 111.

7. *Quar.* Qui sint effectus Interdicti? *Resp.* Effectus interdicti esse desumendos ab intentione Superioris expressa in verbis, quibus infligit interdictum. Quod si sit generaliter latum, ejus effectus generales sunt tres. 1. Privatio aliquorum Sacramentorum. 2. Privatio divinorum officiorum. 3. Privatio Ecclesiasticæ sepulturæ. Bonacina disp. 5. de Interdicto puni. 3. & *Mastr.* ubi supra num. 112.

8. *Quar.* Quæ Sacramenta prohibeantur tempore Interdicti? *Resp.* Prohiberi Eucharistiam, nisi in articulo mortis per Viaticum. cap. Quod in te, de Penit. & Remiss. cap. Permittimus, de Sentent. Excom. Item extremam Unctionem, Ordines, ac Matrimonium; intelligendo cum solemnibus benedictionibus sponsorum; quia sine illis, & privatim ajunt DD. posse contrahi ab interdictis. Idè Baptismus, Confirmatio, & Penitentia possunt administrari interdictis, cap. Quoniam, & cap. Alma Mater, de Sentent. Excom. in 6. *Mastr.* loc. cit. num. 113.

9. *Quar.* Quæ Divina officia vetita sint durante Interdicto? *Resp.* Sacrificium Missæ, recitatio horarum Canoniarum, benedictiones solennes, & aliæ functiones, quæ à ministris Ecclesiæ fieri solent; ipsi tamen poterunt januis clausis prædicta peragere, sine sonitu Campanarum, & expulsis populis interdictis. Porro in interdicto generali locali, concessum est publicè celebrare in festis Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, assumptionis, & Conceptionis B. Mariæ Virginis. *Mastrius d. disp. 13. num. 115.* ubi advertit, quod si interdictum sit locale particulare, tunc in dicta Ecclesia interdicta neque in prædictis festis licitum est celebrare; quia hoc fieri potest in aliis Ecclesiis ejusdem civitatis non interdictis. Quod si interdictum sit personale sive in genere, sive in specie, nulla die possunt sic interdicti interesse Missis, vel horis Canonicis, cap. si Civitas, & cap. si Sententia, de Sentent. Excommunicat. in sexto.

10. *Quar.*

10. *Quar.* Quibus interdicta sit Ecclesiastica sepultura tempore Interdicti? *Resp.* Si interdictum est generale, locale, & personale, nullus potest sepeliri in loco sacro, nisi habeat speciale privilegium. *cap. Quod in te, de Penit. & Remiss. & d. cap. si Civitas.* Quod si locus particularis tantum sit interdictus, extra illum poterit quilibet Ecclesiasticam sepulturam habere, nisi causam dederit interdicto. Illi autem, qui personaliter sunt interdicti, non possunt in loco sacro sepeliri. *dict. cap. si Civitas, Maltius ubi supra num. 116.*

11. *Quar.* Quæ licita sint tempore Interdicti? *Resp.* Licetum esse pulsare, & recitare Salutationem Angelicam, benedicere Mensam, adorare Crucem in Parasceve, commendare animam moribundis, predicare, & docere doctrinam Christianam; actus jurisdictionis tam spirituales, quam temporales exercere; & alia consimilia, de quibus Hurtadus in tract. de Interdicto, diff. 11. & Maltius ead. disp. 13. num. 117.

12. *Quar.* Quas poenas incurrant violentes Interdictum? *Resp.* Multas esse poenas; nam Primò, ministrantes, & suscipientes Sacramenta prohibita peccant mortaliter. *Secundo*, committunt sacrilegium. *Tertiò*, Clerici ministrantes illa, vel celebrantes incurrunt in irregularitatem. *ex cap. Is cui, de Sent. Excommunicat. in 6.* Item peccant mortaliter recitantes publicè, & audientes Divina officia. Et laici cogentes clericos ad celebrandum in loco, vel tempore interdicto incurrunt in excommunicationem. *Clement. 2. de Sentent. Excommunicat. Sepelientes autem defunctos in loco sacro interdicto, pariter sunt excommunicati. Clement. 1. de Sepultur. Maltius num. 118.*

13. *Quar.* Quis possit infligere Interdictum? *Resp.* Omnis Superior Ecclesiasticus respectu suorum subditorum. *cap. Episcoporum, de Privileg. in 6.* sive Ordinarius, sive Delegatus. *cap. Sanè. 2. de Offic. deleg. intra tamen limites suæ Diocesis. cap. Cum inter, de Consuetud.*

14. *Quar.* Ob quas causas solitum sit infligere interdicta? *Resp.* Ob peccata gravia, quæ annexam habent contumaciam in delinquentibus, vel omnibus de communitate, vel principalibus ejusdem; licet reliqui culpa careant. *cap. si Sententia, de sentent. Excommunicat. in 6.*

15. *Quar.* Quæ forma sit servanda in fulminando Interdicto? *Resp.* Quod prius præcedat monitio; deinde si illa nihil proficiat, interdictum promulgetur verbis clavis in Scriptura redactis, ut certum sit ad quos, & ad quæ se extendat. Tandem notificetur, & intimerur, ut homines non possint de eo ignorantiam allegare. *Maltius dict. disp. 13. num. 120.*

16. *Quar.* Quis possit tollere Interdictum? *Resp.* Si est ab homine, & absque præfinitione temporis, debet ab eodem tolli, vel per relaxationem, vel per absolutionem. Si est à jure, vel est locale reservatum Papæ, & ab ipso tantum potest tolli. Vel non est reservatum, & à solo Episcopo potest relaxari.

Doct. Clericali Tom. II. Lib. VII.

Vel est interdictum personale nulli reservatum, & in hoc casu quilibet confessarius potest ab ipso absolvere, data satisfactione, vel præstita cautione, de satisfaciendo. *Maltius ibid. num. 121.*

17. *Quar.* An lato Interdicto cum hac clausula, *donec satisfaciatur*, opus sit absolutione post præstitam satisfactionem? *Resp.* Esse hinc inde opiniones; sed communior est, non esse opus alia absolutione. *Maltius ubi ante d. num. 121.*

18. *Quar.* Quæ sit forma absolutionis ab Interdicto? *Resp.* Nullam esse præscriptam formam; sed per quæcunque verba denotantia absolutionem absolvi posse. *Maltius d. disp. 13. num. 123.*

19. *Quar.* Quid sit cessatio à Divinis? *Resp.* Est quædam prohibitio ob mororem facta, ne in aliquo loco Divina officia celebrentur, & habet analogiam cum suspensione, & cum interdicto, sed non est verè censura Ecclesiastica, eò quia inobedientes non incurrunt irregularitatem, sed excommunicationem. *Clem. 1. de Sentent. Excommunicat. Maltius ibid. num. 124. & 125. ubi advertit, per cessationem à Divinis non esse prohibitum sepelire fideles in loco sacro, dummodo fiat sine recitatione Divinorum officiorum.*

20. *Quar.* An Interdictum impediatur per appellationem? *Resp.* Negativè quoad effectum suspensivum, quia debet statim observari; secus quo ad effectum devolutivum; quia de ejus justitia, vel injustitia poterit coram Superiore disputari. *cap. Ad hæc quoniam, de Appellat. Maltius d. num. 125. in fine.*

CAPUT CLII.

De Irregularitate secundum Doctrinam Maltii.

1. *Quar.* Quid sit Irregularitas? *Resp.* Est impedimentum Canonicum impediens ordinum susceptionem, vel eorum administrationem. Hinc patet, eam non esse censuram, sed inhabilitatem, ob decentiam servandam in promotione ad ordines, vel in eorum exercitio. *Maltius d. disp. 13. num. 127.*

2. *Quar.* Quotuplex sit Irregularitas? *Resp.* Est duplex; alia ex defectu, & alia ex delicto. *Maltius ubi ante num. 130.*

3. *Quar.* Quæ, & quot sint irregularitates ex delicto? *Resp.* Esse decem. Prima est, ob iteratum baptismum seriò, & scienter; & hæc afficit tam rebaptizantem, quam rebaptizatum. *cap. Ex litterarum. De Apostatis, & reiter. baptis.* Et procedit in sola renerata susceptione baptismi, non autem confirmationis; quia de confirmatione nullus canon loquitur; & nulla irregularitas incurritur, quæ non sit in jure expressa. *Secunda* est, ob violatam censuram in susceptione, vel in exercitio ordinum; idè Clericus excommunicatus, vel suspensus, vel interdictus, si ordines exerceat, sit irregularis. *cap. Si quis Episcopus 11. quest. 3. cap. Is, qui. De Sentent. Excommuni-*

N 2

nic.